

XVIII/1108(?)

ORATIO
IN STUDIORUM
INSTAURATIONE

AD JUVENTUTEM VALENTINAM


H A B I T A

IN THEATRO UNIVERSITATIS,
Die 18. Octobris, anno 1742.

A P. FAUSTO BASQUAS, SOC. JESU,
in Scholis Valentinis Rhetoricæ Pro-
fessore.



VALENTIÆ:
EX OFFICINA JOSEPHI STEPHANI DOLZ.



I in hac Sapientissimorum Hominum tantâ frequentâ benevolentiam illam, quâ me anno proximè elapso ex hoc loco dicentem excepistis, perspectam satis non haberem, in amplissimo Oratoris officio immerenti mihi destinato, dolendum potius nunc esset, quam de honore tanto gratulandum. Nunc verò cum jam semel vestram A. O. audiendi alacritatem, nec meæ dictionis infantia, nec ingenii nimis comperta tenuitas imminuerit, quid non audebit Orator jam à vobis ornatus? Quamvis vastissimum obijciatur pelagus, periculis horridum, inæquale syrtibus, ventis concitatum, quonam pacto non dicam hæere, sed nec trepidare poterit Navis, cui vestri favoris aura non deficit? Nunc ergo quando recurrentibus hac die Lucalibus, sapientissimi Lycœi nostri Majestas studiosos Juvenes exceptura, eosdem ardentissimo invitat amore, aspectuque ipso conciliat, quem cursum tenere debeat Oratio, ipsa Sapientiæ dignitas satis ostendit. Ita tamen optarem, propositam hodierna die causam pertractare, ut Orationem exhiberem, si minus Confessu tanto dignam, at utilem certè, & his, quæ anno superiore dixi cohærentem. Cum primùm autem me de re ista agentem honorastis, vidistis armatam Palladem in errores acriter insurgentem, Militiæ robur, florem Sapientiæ, Juventutis delectum

infruximus, singulorum ordines, & numerum recensuimus, in communem Litteratorum Hostem, Ignorantiam scilicet, bellum indiximus, quod foelicibus tunc coeptum auspiciis, spero ad optatum Victoriæ exitum perducendum. Ut verò iustissima, quæ meretur odia in hanc teterrimam Ignorantiæ pestem ardentius effervescent, miseram ipsius conditionem ante oculos vestros exhibere constitui, quâ planè perspectâ statuatis, & in eam pugnare validius, & infoelicissimam ipsius sortem impensius detestari. Sic Spartani Pueri à foedissimo ebrietatis vitio avocabantur, dum ipsius turpitudine in Servis expressa eorum oculos offendebat. Quid autem acerbius, quid luctuosius, quàm in vilissimam Ignorantiæ servitutem devenire? Id unum refugite Adolescentes Optimi, ne vestigales manus tam crudeli monstro subijciatis. Oportet itaque Confessores Optimi, ut ita mecum statuatis, nihil esse turpius Ignorantiâ, nihil miserius; hic totus erit orationis scopus, infoelicem ostendere Imperitiam. Quare ita existimo: infoelix adè est, ut necesse sit, Ignorantiam vel in ipsa foelicitate esse infoelicem.

Quòd si quis fortè severè nimis id à me dici judicaverit, nullam, quæso, de me sententiã ferat, nisi priùs de re totâ differentem audierit. Ego quidem ita reputo, Auditores, nihil æque fugiendum Viro, ratione, & mente prædito, ac indoctum esse, insipientemque appellari; qui talis est, erit omnino infoelicissimus. Nec tantum de illis loquor, quos vel propter tenuitatem rei familiaris

ino-

inopes, aut propter obscuritatem generis ignobiles, aut propter fortunarum jacturas vulgus appellare solet infoelices; imò Virum effingite acceptissimâ Hominum opinione foelicem; eum nempè, cui Cæsares nobilitatem, Croesus divitias, pulchritudinem Venus, ipsa denique rerum Domina Fortuna, fortunam tradidisse videatur; non nè hunc foelicem esse existimabimus? Ego certè si videro illum rudem, atque ignarum, omnibusque Sapientiæ ornamentis destitutum, infoelicem credo, aut inane aliquod foelicitatis figmentum, imò Hominis simulacrum. Honor enim, potentia, atque divitiæ, si in Hominem Sapiensem cadunt, foelicitatem augent; si in indoctum, infoeliciorem efficiunt, quò enim illum in altiori collocant gradu, communi ludibrio magis exponunt. Ita sanè Confessores Optimi: majores honorum apices, ut de his primùm susceptæ causæ veritatem confirmare possim, tantum abest, ut in Hominem stultum foelicitatem importent, ut infoeliciorem omnino constituent: Quid enim infoelicus excogitari potest, quàm Vir ipsa etiam Majestate conspicuus, qui stultitiã, quã Dignitate nobilior, ridetur à suis, exhibilatur ab Exteris, timetur à pluribus, laudatur à nemine? Hac certè de causâ Joannes ille clarissimus Imperator suorum contemptum ita refugit, ut mortem elegerit, ne manum venenato vulnere infestam amitteret: ero enim Semi-Imperator, inquit, cum geminã manu habenas Imperii flectere sit necesse. Sapienter sanè dictum, quia nisi duplici manu potestatis nempè, atque Sa

A 3

pien-

pietia sit instructus Imperii Moderator, quis eum quasi truncum, & mutilum non rideat, quis illum Semi-Hominem non contemnat?

Quid? Plurimi sanè, qui sine ullo litterarum præsidio ad altissimam Imperii gloriam irreperunt, tamquam infelicissima Rei-publicæ monstra, & suo, & aliorum damno ingentis infamiae notam nullis abolendam sæculis consignarunt; ut enim sapientissimè agebat Xerxes: *Ignorantia Principis Regni Navem agit in Syrtes*; undè ignarus ille, qui tenet Rei-publicæ gubernaculum, dum regere Navigium nescit, vitare nescit exitium. Nec veritatis hujus amplius adhibenda est ratio, aut inquirendæ sunt causæ, extant passim Historiarum testimonia, quibus insipientum Principum proscribitur infelicitas. Quis non despicit Domitianum Imperatorem, usque adeo stultum, & barbarum, ut aliquas quotidie horas in configendis jaculo Muscis collocaret? Et qui otio, & ignavia deditus diripiendas Hostibus Provincias negligebat, de indecoro Muscarum triumpho gloriabatur. Proh pudor! Hiccine est habendus Imperator? Hiccine dignus Hominis triumphus? Ubinam laureati fasces? Ubi falcati currus? Ubi catenati Reges? Ubi laudis acroama? Ubi trophœa? Imò, ubi contemptus? Ubi odium? Quo possimus stultitiam tantam, tantam dementiam, ac turpitudinem tantam averfari? Nec absimilis huic fuit Nero, qui ab Agripinâ Matre immortalis Senecæ institutionem relinquere coactus est, ne belluinos mores exueret, si Sapiens esse coepisset. Et quale evasit hoc

monstrum ignorantia, & crudelitate conflatum? Testetur Mater, quam impius Parricida interfecit; testetur Imperium, quod impudentissimus Scurra decoxit; testetur Christianus Populus, quem ipse purpuratus Carnifex trucidavit. Nec commemorare hîc opus est Licinium Imperatorè, adèd infensum litteris, ut eas pestem publicam appellaret, à qua certè ipse se servavit incolumem, quandoquidem decretis, quæ jubebat scribere, subscribere ipse non poterat. Taceo alium non Regiâ purpurâ, at Sacerdotali dignitate verendum, qui, ut stultitiam suam imperitissimo errore defenderet, hoc unum Divi Pauli eloquium dictabat: *Occidit littera*, in quem magnus ille Vir, Anglicanæ gentis decus eximium, Thomas Morus argutè cecinisse fertur:

Cavisti benè tu, ne te ulla occidere possent

Littera, nam nulla est littera nota tibi.

Quid ergo Confessores Opt. nonnè omnes isti infelices fuerunt? Certè non aliter existimare poterit, quisquis viderit turpissimam ignominiam cum eorum ignorantia esse conjunctam, & iisdem litteris, quas abolere tentarunt, foedissimam ipsorum Imaginem exaratam esse, quæ omnium gentium risui, vel indignationi potius obijciatur.

At si solus honor ignarum Hominem ornare non potest, militaris Virtus accedat, adsit cum splendore potentia; poterunt ne ambæ mutuo fœdere conspirantes stulto viro sortem adstruere fortunatam? Meâ quidem sententiâ nullo modo. Ipsa enim bellica virtus inermis omnino erit, si comitem

sibi sapientiam non adscriperit. Et quidem fingite, si placet animo fortissimum Ducem ardentibus oculis, hirsutâ fronte, aspectuque terribilem; sit ille promptus manibus, gravis incessu, mole consistens. Describite illum gladio fulminantem, Hostem prius nutu, quàm telo ferientem. Quid tandem? Ductorem istum Tergeminum, imò Centi-manum, si stolidus, ignarusque fuerit, stipitem potius ad instar trophœi armis onustum, quàm Ducem, & Victorem arbitrabimur. Quomodo enim ille, vel deprehendet Adversariorum insidias, vel armatos Hostes excipiet, vel intercipiet imparatos? Qua ratione, si opus fuerit, sententiam proferet in Militari Concilio? Quonam pacto sciet ille jacentes erigere, colabentes fulcire, aut pallantes revocare? Quo dicendi genere extinctum Militum ardorem accendet, accusabit inertiam, confirmabit audaciam? Hæc verò omnia præstare debet, quisquis Optimi Ducis nomen exambit. Tales certè fuerunt, quicumque rebus præclare gestis invicti Imperatoris gloriam posteritati commendarunt. Talis Alexander ille Magnus, talis Cæsar Romanorum primus, tales denique Agefilaus, Themistocles, atque alii utriusque Imperii Duces, quos non modo incredibilis illa in bellis virtus, sed etiam multiplex rerum cognitio, atque Sapientia clarissimos reddiderunt. At inquis, Vir ille firmus est viribus, præstanti corpore, & in armis strenuus; hanc tamen Gladiatoris laudem reputo, non Ducis, & certè non esse Hominis præcipuam, quis ignorat? Quasi nempè his in rebus ipsa etiam Bruta non

possent suo jure de laude certare. Nonnè, & Tigrides celeritate valent, Leones fortitudine, robore Elephantès? Imò. & isti externo armorum præsidio non egent, nec institutione illâ, quæ præceptis continetur, satis eos ad pugnam natura ipsa conformat, nondum enim in lucem editi, jam armis instructi, didicere prius pugnare, quàm vivere, nec monitore indigent, cum opus fuerit, aut ungues distendere, aut rictum aperire, aut dentes impingere; nec tamen foelices indè habendi sunt, quòd viribus sint præstantes: ille ille est verè Hominis honor, & plausus, cum ad bellicam fortitudinem Sapientiæ Virtus accedat. Qui ita comparatus est, ut non minus consilio valeat, quam virtute, ille quidem appellandus est fortis, ille foeliciter triumphabit: ipse, si opponas arces, expugnat; si objicias muros, infringit; si conscribis agmina, delet; si moliris astus, eludit; quidquid denique terrarum finibus continetur angustum trophœis, exiguum animo, breve Virtuti Dux Sapiens demonstrabit. Ex quo profectò nemo est, qui non videat, sine gloriosissimo Sapientiæ ductu, nihil ardorem Militum, nihil ferrum profuturum ad veram gloriæ foelicitatè comparandam.

Jam tandem inhiantes ad divitiarum fortunas accedamus. Hic certè quodammodò hæere videtur oratio, quasi dubia, utrùm tam divitem Hostem pertimescat. Hic nempè eò timendus est magis, quò validius pugnatur auro, quàm ferro: Quid enim benè nummata manus non evincat? Qua ratione fortunatas esse divitias inficiabimur, cum illæ

vel solæ credantur, Homines præstare posse foelicissimos? An ne sapienter dixit Horatius: *Virtus, fama, decus, divitiis parent?* An ne verissimum ejusdem extat effatum, cum de ipsis ait: *quas, qui construxerit, ille clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex?* Imò ut lepidè Petronius Arbiter: *Clausum possidet arca Jovem.* Et dubitabit quisquam divitias verè esse foelices, cum tot, & tanta bona ab ipsis emanare demiremur? Ego quidem in hanc sententiam abiisse plures non ignoro, nec alias jam à multis æstimari litteras, nisi commendatitias, aut Menfariorum scripturas, hac una de causa Alphabetum conservari, aliàs certè relegandum; nocet enim litterarum studium capiti, multamque perniciem valetudini machinatur; curare cutem, hæc una cura; rationes quælibet nisi accepti, expensique damnantur, qui plura aggerat, preciosissimo celebratur ingenio, stultissimus verò habetur, qui nihil habet. Sed quid tandem immoramur? Sint sanè pingues isti proprio viventes commodo benè saginati, sint unionibus intertextâ synthesi speciosissimi, sint innunerâ famulantium turbâ circumdati, sint ipsis prædia ad utilitatè, Pomaria ad delectationem, Palatia ad majestatem, sint nobiles, sint florentes, sint superbi. Videantur foelices stultis, sunt tamen prudentibus infœlices. Vides enim adipalem istum divitem, sed ignorantissimum? Midam cogita totum aureum, præter aures, quas pudet hoc loco nominare, statuam dixeris pretiosis vestibus pulchram, at sensûs expertem; imò tantæ pompæ cum ignoratione tantâ, si verum à me no-

men

men requiratur: *Incitatum* dicam esse Caligulæ Imperatoris equum, cui dementissimus ille Palatium assignavit, & familiam, dedit equile marmoreû, præsepe eburneû, nec phaleras induebat, nisi auro, gemisque distinctas. Quid plura? Eò potentia processit fortunata Bellua, ut ipsi Imperatori par esset, quandoquidem, & Senatoriam, & Consularem Dignitatem illi destinavit. Et hæc à Sapientibus appellanda foelicitas? Sunt quidem honores, fortitudo, atque divitiæ Hominum ornamenta, at tardi illi, & stupidi, indigni prorsus Hominis appellatione censentur; appellantur sanè Divites, sed statuæ, sed pecudes, vel monstra etiam, quæ ab humanâ foelicitate longissimè distant. Quare jam, Confessores Optimi, nemo est vestrû, qui non satis intelligat, ignorantem Hominem in ipsâ foelicitate esse infœlicè, cum necesse sit, stultum inter honores ignobilem, inter arma debilem, in opulentiâ pauperè, ac miserandû inveniri.

Quæ cum ita sint, ad Vos tandem, Juvenes ornatisissimi, sese convertit oratio: Vos tandem respicit, lectissimi Adolescentes, quos non dubito, quæsituros potius non sine aliquo labore sapientiam, quam turpem illam multo rerum apparatu divitem imperitiam; hoc sanè proprium judico vestrae indolis, honoris, ingenii, nec aliter decere poterat animos Valentini nominis dignos. Nunc tamen ad extremum inspicite tantisper mecum amplissimam Athenæi nostri, atque hujus diei Majestatem, illa Vos rectè admonet, qualiter, & hujus spei, & opinioni vestrae respondere debeatis. Ego certè dum

ma-

magnificam istius Lycoei pompam intueor, meque tantâ honoris, & Sapientiae amplitudine circumseptum, videre mihi videor stata illa singulis annis Lacedaemoniorum solemnia, ubi divisus in tres choros aetatibus, concinebant Senes : *Nos fuimus fortes*; reponerent Viri : *Et Nos modo sumus* ; Juvenes tandem repetebant : *Nos erimus aliquando*. Cernite, cernite, Adolescentes Optimi, illustres illas clarissimorum Virorum Imagines, qui omni Scientiarum genere ornatissimi, Palæstram istam, imò, & orbem univèrsam partis de Ignorantiâ Victoriis illustrarunt. Verè illi canunt : *Nos fuimus fortes*. Cernite egregia ista Subsellia, ubi tot Viri doctissimi, Valentini Coeli Lumina fulgentissima, dicere quidem poterant, ut factis ostendunt : *Et Nos modo sumus*. Unum restat, Juvenes floridissimi, ut reponatis, & Vos : *Nos erimus aliquando*. Horum omnium si vestigia subsequamini, honores quoque, & Victorias reportabitis. Quare agite, & litterarium cursum modo susceptum alacri contentione perficite. Contempletur quisque suos laboris comites, ac laudis æmulos, ut mutuis quasi facibus discendi studium inflammetur. Videte, quid huic Doctorum Matri, quid Patriæ, quid vobis ipsis debeat. Ita denique tempus, oculos, curas, animorum ignes, ingeniorum lumen, studiis adhibete, ut quam desideratis immortalem gloriam, veramque foelicitatem in solâ Sapientiâ consequamini.

DIXI.